

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 52. (*Neovidensis* 1806. Nro. 45.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos inter,  
ac mortuos.*

Epistola missa in Elysium ad Sebastianum Fesch.

Ex Mundo superiore.

---

Elysium. -- Meum. -- Die Martis 24. Junii 1806. (Neov. 3. Junii.)

---

Quaquam nostris temporibus magnorum virorum, et tam bello, quam eruditione memorabilium merita in Biographiis posteritati transcribantur, attamen, quod res est, oportet ingenue confiteri, patrum nostrorum memoria ejusmodi descriptiones parcius quidem, at majori jure prodivisse in lucem. Ordo equester suum nomen aeternavit propagatione familiae, civilis autem conditionis hominum facta inserta sunt annalibus, qua re eruditi dederunt illis occasionem sua merita transmittendi ad posteros.

Nomen *Fesch* notum est in historicis lexicis, et in historia urbis Basiliensis saepe numero reperitur illud virtutibus scientificis, ac patriis splendere. Haec eum in finem adduco, Doctissime Sebastiane Fesch! ut

facilius assequaris provectum ad dignitatem de tua posteritate virum, qui nunc membrum factus est patriae nostrae Germaniae, et in quo tuis Majoribus justa praemia persolvuntur. — Non existimo ingratum tibi futurum sequentia in Elysio intelligere:

*Ratisbona 28. Maji.*

Electoris Archicancellarii status Minister, et Directorialis Imperii legatus L. B. Albini hodie sequens memoratu dignum scriptum congregatis in Comitibus Imperialibus Patribus tradidit:

P. P.

Post gravia bella A. 1803. in effectum deducta, et pro fundamentali lege assumpta sententia totam Germaniam novis spebus replevit, fore, ut per eam pristina quies, et rerum ordo restituatur, vincula imperii renouentur, et constitutio sarta, tecta conservetur; At nova bella, in quibus quidem Imperium nullam partem habuit, eorum tamen theatrum esse debuit, has spes non modo imminuerunt, sed etiam eorum jam nota, et adhuc futura consecutaria multis hodie adhuc extantibus Imperii Ordinibus justissimam injecerunt sollicitudinem, an non sint eorum jura convelienda cum possessionibus adeo, ut in fine nec vestigium remaneat de vetere Imperii constitutione. Elector Imperii Archicancellarius, meus Benignissimus Dominus, qua Primas, et Archi Episcopus Germaniae omni licet adhibito conatu nondum

potuit in germanicam Catholicam Ecclesiam ad mentem dictae fundamentalis Imperii legis inducere ordinem, imo nec suum proprium Metropolitanæ Ecclesiæ capitulum constituere, quin potius animadvertit assignatas sibi pro dotatione provincias, ac redditus jam in vivis, et multo magis post mortem in periculo versari: Quapropter ætate in diuturnis, et gravibus negotiis, atque curis ad annum 63 protracta non potuit diutius differre, quin sibi regiminis socium, coadjutorem, successoremque deligeret talem, qui animi, et corporis viribus, auctoritate, atque potenti patrocinio præstaret, ut durante adhuc ejus vita omnia legalia jura, et prærogativas tueri possit, et etiam Electorum conservare, eidemque post serius aut citius secuturum obitum pro commodo Imperii, ejusque constitutionis perpetuam procurare durabilitatem. His gravissimis motivis inductus Serenissimus Elector judicavit nullum esse digniorem Eminentissimo Cardinali Fesch, x). cujus Majores jam sæculo 15 et 16 gestis in Germania publicis muneribus se distinxerunt, ipse autem in optima ætate existens, jam diutius collegio Purpu-

x). Eminentissimus Cardinali Josephus Fesch natus Adiacii in Corsica 3. Januarii 1763, est avunculus Imperatoris Napoleonis, est enim frater non germanus Matris Napoleonis Laetitiæ, ex familia Rancolini, horum namque mater Domina Rancolini ab obitu primi mariti secundas nuptias celebravit cum Francisco Fesch Basiliensi, Officiali in legio-

ratorum Patrum adscriptus, omnibus ad hoc munus necessariis dotibus in summo gradu praeditus est. Hunc itaque Dominum sua Electoralis Celsitudo suum Coadjutorem, et successorem a Sua Sanctitate precibus impetravit, idque ipsum Suae Caesarae Majestati, supremo Imperii capiti, quae, ut sapienter perspiciet, huic per adjuncta temporum approbatae determinationi suum consensum certe non denegabit, debito modo insinuavit. Mihi autem clementer imposuit, ut Dominis Excellentissimis, Reverendissimis Illustrissimis, et Magnificis praesentem facerem communicationem, majoremque in modum orarem, ut de illa suos Principales certiores redderent.

Dum itaque impositum mihi mandatum exequor, una adjungo meae demississimae venerationis declarationem, et maneo

Excellentissimorum, Reverendissimorum, Illustrissimorum; Dominorum

Humillime Addictissimus

*F. I. Liber Baro Albini*

Electoris Archicancellarii Status  
Minister, et Directorialis Comitiorum  
legatus.

Ratisbonae 27. Maji 1806.

---

ne Helvetica Boccardii tunc Adiacii stativa habente. Idem fuit A. 1801. Archi-Episcopus Lugdunensis consecratus, Anno vero 1803. renunciatus Cardinalis, et gallicus legatus in Aula Pontificia, simul Caesaris Magnus Elemosynarius, Magnus Officialis Regni, cum magno Ordine honorariae legionis.

Hoc est, Illustris Sebastianæ Fesch! memorabile factum, quod in tua familia, et tota Germania, quam jam saepius ornavit nomen Feschiorum, attentionem excitat. — Persvasissimum mihi est, progressu temporis a neo-electo mensuram tanti nominis impletum iri.

Interim submitto tibi, tanquam, magistro in arte, sequens latinum carmen, quod quidam numine Phaebi agitatus in adventum Electoris Herbipolitani Ferdinandi modulatus est:

*In laetum adventum Ferdinandi Austriaci in urbem Herbipolim  
Calendis Maji MDCCCVI.*

Excessit fortuna modum: jam tristia fata  
Cuncta repensa tibi sunt. Quæ et mens anxiosa dudum

Optavit, superi, Herbipolis! tibi plena dederunt.  
Ferdinandus adest, nulloque satellite venit  
Stipatus; quia vult pro Principe quisque libenter  
Projecisse animam civis. Dignatur alumnos  
Mars hosce ipse suos. Ecce at comitatur eundem  
Grata cohors virtutum. En quis non diligit illas,  
Austriacosque meos? Charites, quibus omnia  
jungit

Corda sibi, pietas sincera, atque apta gerendis  
Mens rebus; Tali hoc Duce tu, Franconia,  
gaude.

Sit felix, vivatque diu! sic gloria gentis  
Prisca iterum redeat, sera et memoranda nepoti!

Ferdinandi habeant felicia tempore fasti!

## BIOGRAPHIA.

*Fesch* (Sebastianus) Remigii Fesch fratris  
 celebris Jurisconsulti filius aequè jurium  
 peritus et rerum antiquarum studiosissimus,  
 natus est Basilaeae 6. Julii A. 1647. Amor in  
 litteras, et rem numariam eum impulit ad  
 suscipiendas varias per Galliam, Angliam,  
 Hollandiam, et Italiam peregrinationes. Lug-  
 duni inivit intimam familiaritatem cum spe-  
 ctatissimo viro Sponio; Patavii autem lon-  
 giorè tempore moratus est, ut amici sui Ca-  
 roli Patii, medicinae Professoris, societate  
 fruëretur. Romae sibi comparavit magnam  
 copiam pulcherrimorum Graecorum numorum,  
 ubi ipsi oblata fuit videnda celebris moneta  
 Pylamenis Evergetis, Regis Paphlagoniae,  
 quam deinde erudita dissertatione exposuit,  
 estque a Gronovio thesauro Antq. Graec. in-  
 serta. Ab Academia Scientiarum Ricovra-  
 tensi communibus suffragiis adoptatus est in  
 membrum societatis, ubi laudes Reipublicae  
 Venetae cecinit latinis, et graecis versibus,  
 qui typis excusi fuere Florentiae contraxit  
 notitiam cum Magliabecho, et Cinellio; Me-  
 diolani autem egregiam navavit operam Co-  
 miti Mezzabarba, tunc in opere: *De numis  
 Imperatorum Romanorum* desudanti. Post haec  
 factus est Feschus Basilaeae Doctor Juris, et  
 Professor A. 1687. quam stationem retinuit  
 usque ad A. 1706. quo Status secretarii mu-  
 neri admotus est. Diem obiit A. 1712, 27.  
 Maji. Praeter jam enumerata opuscula, scrip-  
 sit etiam *de Insignibus, eorumque jure; de numis*

*Græcis Imperatorum Romanorum, Item edidit: Manipulum quaestionum juris illustrum. Memoriam post, humanam Jac. Brandmulleri Icti Basil. etc. Ex ejus collectione translatus est in Musæum Regis Galliarum celebratus numus Imperatoris Pescennii Nigri. Feschius concinnavit etiam latinam inscriptionem, quae supra portam arcis Huningensis visitur: Ludovicus Magnus, Belgicus, Sequanicus, Germanicus, pace Europae concessa, Huningam arcem, sociis tutelam, hostibus terrorem exstruxit MDCLXXXI.*

Familia Feschiorum numerat plures meriti-  
tissimos viros: Rudolphus Fesch erat appri-  
me versatus in architectura militari, hic in  
Saxonico - polonica legione dignitatem tribuni  
consecutus vivere desiit A. 1751. Extant non-  
nulla opera ab eo edita de architectura mili-  
tari. Remigius Fesch Juris consultus, & An-  
tiquarius omnium eruditorum sermonibus ce-  
lebratur, collegit enim non tantum vastam  
bibliothecam, sed etiam memoratu dignum  
numorum, & rerum antiquarum Museum,  
quod hodie dum Basiliæ nomine Feschiano  
insignitur. Rebus humanis ereptus est A. 1607.  
Morerius in serie Consulum Basiliensium duos  
commemorat Feschios; videlicet Remigium,  
qui A. 1602, & Rudolphum, qui A. 1636  
fato functus est. Idem Morerius ejusdem per-  
sonæ nomen jam Fäsch, jam Fesch scribit,  
ita etiam in antiquis latinis codicibus mox  
legimus Fäschium, mox Feschium, ut adeo  
utrumque scribendi genus eandem, unius ejus-  
demque familiae personam denotet. Pascis

temporibus, ait dictus Moreri, vixit Basillaeae Rudolphus Fesch filius Consulis Basiliensis, ipse quoque consulari dignitate ornatus, qui ex 60 annorum matrimonio numeravit 165 proles, nepotes, et pronepotes, atque omnes certa quadam occasione prandio apud se exceperit.

*Resolutio Problematis sub Nro 42. per Neovidensem propositi.*

Si vulnerati dicantur  $x$ , captivi  $= y$ , mortui  $= z$ , erit ex conditionibus Problematis:

$$1) \quad xz = 10y; \quad 2) \quad y - x = z^2; \quad 3) \quad \frac{x^2}{y} =$$

$$2z + \frac{z}{2} = \frac{5z}{2}; \quad \text{hinc per substitutionem æqua-$$

lium obtinentur sequentes æquationes:  $y = \frac{xz}{10};$

$$\frac{xz}{10} - x = z^2; \quad \frac{10x}{z} = \frac{5z}{2}; \quad 10x = \frac{5z^2}{2}; \quad x =$$

$$\frac{5z^2}{20} = \frac{z^2}{4}. \quad \text{Valore de } x = \frac{z^2}{4} \text{ substituto in se-$$

cunda derivata æquatione, erit:  $\frac{z^3}{40} - \frac{z^2}{4} = z^2;$

$$\frac{z}{40} - \frac{1}{4} = 1; \quad \frac{z}{40} = \frac{5}{4}; \quad z = \frac{200}{4} = 50; \quad z = 50,$$

quo valore posito, in æquatione derivata  $x = \frac{z^2}{4}$ , erit:  $x = \frac{2500}{4} = 625$ , porro utroque sub-

stituto in æquatione  $y = \frac{xz}{10}$ , erit:  $y = 3125$ .

Unde numerus vulneratorum est: 625, Captivorum 3125, Mortuorum 50.

Resolvent: *Antonius Pozner*, Dioecesis Cassoviensis Alumnus, Philos. B. in annum, et *Stephanus Gergulits*, Philos. I. in annum Lyceo Agriensi Auditores.

